

V c
2964



h. 24, 16 Cl. xxiv, 16.



ORATIO

VERSIBVS HEROICIS CON-
scripta, & in parentatione Illustrissimo
Potentissimoq; Principi ac Do-
mino, Domino

AVGVSTO,

Duci Saxoniae, Sacri Romani Imperij Ar-
chimarschallo & Electori, Landgrauio
Thuringiae, Marchioni Misniae & Burg-
grauio Magdeburgensi, altero post
ipsius Cels. obitum anno,
facta,

•§ Pronuntiata publicè die XI. Feb. §•
Lipsiae in templo Paulino.

à

M. IOHANNNE ALBINO
Poëtices Professore.

Lipsiae, Iohannes Beyer impri-
mebat, Anno

M. D. LXXVII.

1706

1706

MAGNIFICO VIRO, SAPIENTIA, DIGNITATE,
Doctrinae eruditione, & virtute amplissimo, Domino

HIERONYMO GVNTHERO,
Philosophiae & I. V. Doctore, Professore publico,
& curiae provincialis Lips. Advocato, nec non
Academiae eiusdem Rectore, Domino ac
Patrono suo colendissimo.

Hoc tibi, Magnificis praestans amplissime Rector,
Laudibus, & merito ni fallor, dedico carmen,
Carmen quod cecini primo dum solvimus anno
Exacto inferias AVGVSTO & iusta volentes,
Flebilibusq; modis nostrum testamur amorem,
Hunc erga magninq; Ducem patriaeq; parentem,
Heroo cuius virtutes Principe dignas
Mirati quondam sumus & suspeximus omnes.
Tu cuius monitis & iussu hoc tempore prodit,
Quod facis, accipere o vultu dignere sereno,
Teq; mihi facilem praesta GVNTHERE patronum.
Sic ope perpetua CHRISTVS tua cepta secundet,
Sic tua tota domus longinquis floreat annis.



T. Magnif.

addictiss.



M. Iohannes Albinus.

OR A-

O R A T I O.

S I rectè laudum praconia digna merentur
 Facta virum, patria memores memoresq; suorum
 Quæ magno gessere animo: Naturaq; mentis
 Insita si ducit fas esse rependere grates
 Pro meritis, hominum collatis catibus: Ecqua
 Digna magistratu pietas & digna referri
 Gratia, dignus honos poterit? qui plurima rebus
 Commoda conciliant hominũ, & bona plurima præ-
 Hi sunt quos mundi rerumq; creator & autor, (stant.
 Omnipotente gerit qui sceptrum immobile dextra,
 Et nutu quatiens immensa volumina cœli
 Attentis oculis videt omnia, nominis almi
 Participes facit esse sui, quibus ardua tanquam
 Semideis rerum terra est commissa potestas.
 Hi sunt mortales inter ceu lucida gemma,
 Illustrans auras circum splendore corusco,
 Quam pretij nescit vis exæquare vel ingens,
 Hi sunt qui legum sanctissima iura tuentur,
 Hi pacem miseris retinent mortalibus, horum
 Munere cum celsis cultæ stant turribus urbes.
 Deme magistratus terris, spelæa ferarum
 Vasta petent homines, cessabunt iura fidesq;
 Nullus erit virtutis honos. Quid multa? Sine istis,

A 2

Catibus

A-

Cætibus hæud poterit iunctis consistere mundus.
 Hos animis igitur veluti terrena colamus
 Numina, viuentesq; suo dignemur honore:
 Sed vita cassis etiam sit fama superstes,
 Laudibus ornentur, vigeant, celebrentur, amentur,
 Præteriti stet apud memores bene gratia facti.
 Ullius at nostris præstans regionibus unquam
 Si Ducis eminuit virtus & gloria rerum,
 Inter honoratos & magni nominis olim
 Heroes sit fas meritis factisq; potentem (actis
 A V G V S T V M numerare Ducem, quem mensibus
 Bis senis, tulit atra dies & funere mersit,
 Cum desiderio magno luctuq; suorum.
 Huius, cum dolor acer adhuc præcordia pungat,
 Non obitus nimis heu cito lamentemur adempti?
 Huic non dilecto fiant ceu iusta parenti?
 Durities Scythicis animi sit gentibus ista,
 Est quibus & socios, & sanguinitate propinquos,
 Atq; patres ætate graues iugulare voluptas:
 Ista Scythis, inquam, feritas sit, mitia nobis
 Corda dedit natura, moueri suetaq; luctu,
 Plangamus memores hæc funera mœsta quotannis,
 Fundentes oculis lacrimarum flumina plenis,
 Nec Ducis ex animis tanti labatur imago.

Ipse

Ipse quidem superum caelesti sede receptus
 AUGUSTVS Princeps, lacrimas non curat inanes,
 Jam radijs circumfusus caelestibus, inter
 Heroas quondam magnos Germanidos oræ:
 Unigenamq; Deum maiestatemq; verendam
 Aspicit, atq; nequit satiari corda tuendo.
 Illic angelici recinunt nova carmina cætus,
 Carmina quæ iuga summa mouent illustris olympi,
 Illic lætitia est, qualem caligine mersum
 Cor imo nequit humanum comprehendere sensu,
 Non nox, inuoluunt non atria sancta tenebræ,
 Splendor inexhaustus decies qui lumina solis
 Vincit, in immensis penetralibus undiq; fulget,
 Immortalibus & gemmis sola lata coruscant.
 Fons ubi at in medio scaturigine manat aperta,
 Instar Christi vini argenteus undis,
 Præbet se uina spectandam luce beatis
 Vera Dei CHRISTVS soboles, & patris Imago,
 Illorum & lacrimas pro IESU nomine fusas
 Linteolis oculis abstergens mollibus, ipsis
 Nectareos vini infundit solaminis haustus.
 Non his ergo locis augusta luce repletis,
 AUGUSTVS cuperet, sinerent si fata, reuerti,
 Oblitus mundi grauium oblitusq; laborum,

A 3

Quos



Quos tulit, in proprijs regionibus omnia rectè
 Dum fieri cupit, & curarum fluctuat æstu,
 Perfruitur vita felix sine fine beata.
 At nos quos Deus hunc voluit superesse per annum,
 Quis Dux AVGVSTVS pacata pavit in umbra,
 Lanigeras ceu pastor oves per rura vagantes,
 Cum desiderio iustum decet addere luctum,
 AVGVSTI, memori laudesq; requirere voce.
 Hic pietatis honos merito debetur, & unum
 Hoc pretium reddi sibi postulat inclita virtus.
 Hunc igitur quoniam est completis mensibus orbis
 Annus exactus, luxq; est heu tristis oborta,
 Qua Dux AVGVSTVS meritis maturus & ævo
 Exutis membris mortalibus astra petiuit,
 Soluamus pia vota, piumpq; novemus honorem,
 Qui nostrum haud animi fictum testetur amorem,
 Nec lacrimas nos ostendat tenuisse fideles.
 Vos ò quos longis astare sedilibus ampla
 Conspicio pietate viri, quos nostra Lycea
 Agnoscunt proceres, dignoq; verentur honore,
 Vos mihi cui primo gravis hæc provincia cessit,
 AVGVSTI meritas repetendo retexere laudes,
 Quod facitis, cupidis animis studijsq; fauete.
 Tu tamen in primis clarijs memorande camænis,
 Magni-

Magnifica celebris vir præstantissime laude
 Quo modo Rectore eximio schola nostra superbit,
 Quæso faue captis, & amicis auribus hauri,
 Quæ festinarunt humiles mihi carmina Musæ.
 Te scio (nec miror) sincero pectore tantum
 Dilexisse Ducem, quo vixit tempore toto.
 Indicium præbet nobis haud debile, cultus
 Oris honorati liquido de flumine manans,
 Principis AUGUSTI quoties fit mentio, sermo,
 Affectu plenus dictis & plenus amicis.
 Auspiciis ductumq; tuum quæ cætera pubes
 Ingenuis studijs & doctis dedita Musis
 Astat, ad intuitum se componendo regentis
 Præbebit faciles nobis attentius aures.
 Non est quod solos iam nos lugere putemus,
 Manibus AUGUSTI & postremum solvere ho-
 Tota dolens unâ regio suspiria ducit, (norem,
 Funestam accusans lucem & crudelia fata.
 Præ cunctis alijs pullo velatus amictu
 ELECTOR tundit CHRISTIANVS pectora palmis,
 Quemq; fuit vero in vita complexus amore,
 Arbitrio cuius solitus se credere totum,
 Quem solitus semper reuereri numinis instar,
 Cum desiderio patrem gemituq; requirit,
 Sublato nihil esse querens sibi dulce parente.

Quid

Quid vero? lacrimas dabimus tantumne profusas
 Felici cineri? nec finem luctus habebit?

Quin aliquos potius laudum meditemur honores,
 Atque minus tristi solemur carmine mentes,

Quantumuis ingratus adhuc dolor ossibus hæret,
 Vulneris & nondum satis est obducta cicatrix.

Nec vero à primis proavis atavisque vetustis (alta
 Saxonidum genus unde Ducum, & gens ducitur
 Incipiam, repetens magnarum exordia laudum.

Vos quibus ætatis superest vis integra vates,
 Vos annis alijs, dederint si fata, canetis

Saxonas Heroas quos tempora prisca potentes
 Egregijs animis olim factisque tulerunt.

Addetis grandi connubia regia versu

Principis AUGUSTI, dignamque parentibus altis
 Egregiam sobolem, regio qua tota triumphat.

Ad propiora magis, magis obuersantia nostris
 Mentibus inuitant atro me vela colore

Nondum demta tholis, veterem reuocantia curam,
 Ne nimis alta petat tenuem & stringentia venam.

AUGUSTVS Princeps, dum fata Deusque sinebant,
 Christiani decus orbis erat, decus omne suorum.

Hunc oculis celsi magnates ferre solebant,

Hunc admirari magno cum Casare totum

Imperi-

Imperium, cuncti facile huic concedere primas.
 Diversas sublimis equo, quocumq; per urbes
 Ferret iter, longis comitatibus: agmine denso
 Leta Ducis tanto conspectu, rebus omisis
 Omnibus, occursum se efferre, per oppida, pagos,
 Compita, cum faustis votis effusa iuventus,
 Nec vidisse semel satis est, iuvat usq; tueri,
 Atq; iterumq; iterumq; augustos cernere vultus.
 Hic ille AUGUSTVS, tuus o Germania ocellus,
 Hic instar firma est qua nititur illa columna.
 Non bello inuadet nostras hoc Principe terras,
 Ignotis effusus atrox regionibus hostis,
 Copia non deerit vitæ quorum indiget usus,
 O seruent longos nobis hunc fata per annos.
 Ventum ad concilium procerum Imperijq; senatum,
 Ardua tractari captumq; negotia rerum,
 Hunc alij præferre Duces, audireq; voces
 Missa velut sacra vaticinibus oracula Delphis.
 Hoc dabat oris honos, sapiens oratio verbis,
 Et gravitas, candorq; & nescia pectora fraudis.
 Finxerunt veteres natam Ioue Pallada vates
 Armatam galea tortos rutilante capillos,
 Atq; hastam dextra valido vibrare lacerto,
 Gorgonis at caput in laeva gestare tremendum,

B

Quo

ta
ur

n,
n.

-



Quo Perseus in Saxa viros conuertere sœuit,
 Quorumcunq; ardens ira retulisset ad ora.
 Queritis hæc nunquid designet fabula veri?
 Nil equidem reor hæc aliud quam dia notari
 Ora magistratus, hominum tot millia legum
 Propositis vinclis edictorumq; regentis.
 Illius aspectu terreri corda necesse est,
 Terribili fuerint immania si magis urso,
 Aut rigidas gestent in duro pectore cautes.
 Quoq; magistratu donum hoc contingere maius
 Cernitur, hoc illud diuinus esse putandum est.
 Palladis hoc Clypeo Princeps hoc Gorgone noster
 Armatus fuit AVGVSTVS, ceu fulminis ictus
 Quem tremuere mali, nihil ausi fraudis aperta,
 Nil clandestini sceleris committere furtim.
 At contra iusti studio rectiq; flagrantem
 Dilexere boni, ducti virtutis amore,
 Illius seu se subiecti lege tenerent,
 Seu nostris essent terris alio orbe remoti.
 Ecquis enim Dux est Europa clarus in oris,
 Qui non legatos & munera miserit illi,
 Miratus laudes Ducis atq; illustria facta?
 Ambierit nec amicitiam? Quid Casare maius?
 Et tamen is (nullis quod credo contigit unquam
 Princi-

53157

Principibus) gnatis aliquot comitatus, & alta
 Coniuge, Dresdensis sublimia venit ad urbis
 Mœnia, & hospitio clemens indulgit amico
 Principis AVGVSTI, quem vitæ tempore toto
 Non carum secus ac fratrem complexus amore est.
 Hoc decus, has laudes, hanc famam nominis amplam
 AVGVSTVS magis atq; magis cumulare studebat,
 Subiectos summa populos in pace regendo,
 Commissiq; gregis sibi prospiciendo saluti.
 Et quoniam merito pax creditur optima rerum
 Quas homini novisse datum est, fuit unica cura
 AVGVSTO, constante suos in pace tueri.
 Hanc ratus ille viam sacra discere dogmata CHRI
 Atq; artes tractare bonas, educere prolem, (STI,
 Perq; vagas terras merces mutare repostas.
 In trucibus quid enim fieri consueverit armis
 Heu nimis est notum atq; animus memisse refugit.
 Ecquis honestatis locus est, cura ecqua pudoris
 Ense ruente fero per apertos milite campos?
 Hostis adest ubi tecta sonant, concurritur unâ,
 Innumeris passim telis Mars impius horret,
 Non scelerum facies vlla non funera desunt.
 Innatat in campis cruor, atq; madentia cade
 Saxa rubent, stupris peccatur ubiq; nefandis,
B 2
Oppida

Oppida cum pagis fumant, non ullus aratro
 Restat honos, squalent confossis arua colonis.
 Spretæ latet pietas, templis oracula cessant.
 Aonides Musæ quibus ocia dulcia cura,
 Diffugiunt trepidæ, loca barbarus occupat hostis,
 Deniq; luctus ubiq; & plurima mortis imago.
 Ast ubi sopitis sunt mitia tempora bellis,
 Urbibus in cultis & pax suauissimæ regnat,
 Instruitur sancta pia religione iuuentus.
 Intemerata fides, legumq; seuera potestas
 Culpari metuit, florent artesq; scholeq;
 Cunctaq; letari grata loca pace videntur.
 Hoc igitur tanto, post bella cruenta, necesq;
 Quas satis est experta diu Germania, quando
 Has dirus terras & agros vastauit Iberus,
 Munere concesso pacis, quis grata referre
 Vota Deo renuat? quis, quo pax Principe facta est,
 Non cælo meritis AVGVSTVM laudibus æquet.
 Quas prius informes nimium situs ater habebat,
 Jam multæ florent speciosis ædibus urbes:
 Amplaq; quæ cingunt altos pomeria muros,
 Densantur varijs spaciosa suburbia tectis.
 Extructæ latè fulgent in montibus arces
 Regis opus celsæ, decus his memorabile terris.

Subiecti

Subiecti qui sunt pagi sua commoda iactant.
 Prata virent circum, replentur fatibus horti
 Arboreis, rident solertibus arua colonis.
 Cum teneras pecudes in grata noualia pastor
 Ducit, oves passim stridentibus edita cannis
 Rustica pascentes balatu carmina rumpunt.
 Inde domum recipit se fessus arator, & escis
 Quas coniunx operis assueta parauit inemptas
 Se reficit tutus, nihil arma tubasq; tremiscens.
 Non minus & ciues sibi debita munera curant:
 Educunt paruum sobolem, vigiliq; labore
 Exercent operas quas cuiq; vocatio prebet.
 Ad sacra conueniunt homines oracula templis
 Sedatis animis: puerorum voce magistri
 Discantum strepitu conclauia densa resultant,
 Nec quid sit miles fera quid Tarat ant ara nouit.
 Per tutas licet ire vias, qua cuiq; cupido,
 Urbes obiecto non claudunt obice vectes,
 Excubat ad portas nec toruo lumine custos
 Arcens introitu, licet ire redire volenti
 Qua libet, ingressu nemo prohibere laborat.
 Hec, o magne Deus, dator es qui pacis & autor,
 Commoda, pro summa bonitate perennia faxis.

B 3

Nec

*Nec quia sic pacem Princeps AUGUSTVS amabat,
 Non & in Heroo fuit ingens pectore motus,
 Militiaq; animus promptus tolerare labores.
 Arma requisissent si sumere tempora nostra,
 Inferior magnis Ducibus non forte fuisset,
 Acria qui forti gesserunt praelia dextra.
 Bellorum norat non quisquam rectius artes,
 Quaeq; usus poscit, cum Mars furit impius, arma.
 Quin animi celsi mortis contemptor & hostis
 Impetus, eminuit mox in iuuenilibus annis.
 FRANCISCVM peteret Caesar cum CAROLVS armis
 Gallorum valido conscripto milite regem,
 MAURICIO iunctus fratri cataphractus in illam
 Militiam AUGUSTVS generosa est mente profectus.
 Et praclarus honor fratrem tum mansit utrumq;
 Ad VICTORINI cum gentis nobile fanum
 Clara reportata est caesis victoria Gallis.
 Quando premebatur discors Germania bello
 Difficili, diris circumvolitantibus Hunnis,
 Caesareisq; aquilis tota regione receptis,
 MAURICIO cum fratre viris armisq; potente
 Caesaris auspicia eiusdem fuit ille secutus,
 Et rarae specimen virtutis praebuit ingens.*

Nomine

339

Nomine quæ Imperij, post, tradita munera gessit
ELECTOR, gessit cura studioq; fideli,
Intentus proprijs, rumores nilq; moratus,
Quos vanos profert vulgus sine mente profanum.
Mœnia GOTHANÆ cum iussus cingeret Urbis
Obsidione, globos inter qui fulminis instar
Tormentis alta erumpebant iugiter arce,
Versari absq; metu solitum, nec tela nec hostes
Formidasse ferunt: constans fiducia vires
Infractas animumq; dabat, quæ per vaga tela
Fulmineosq; globos rectè sperare iubebat.
Fama volans tulerat, cum Casare velle senatum
Imperij, Turcis latè populantibus acres
Pannonas, ut Princeps aduersis obuius iret
AVGVSTVS signis. Referenti talia, nunquam
Defugiemus ait, iubeat si tendere Casar,
Casare cur belli molem mandante recusam
Ferre? Magistratus meus est, huic par. o rectè
In bello quæ me iusto sors cunq; sequatur.
O vocem magnam, generoso Principe dignam,
Virtutis testem præclara, animiq; virilis.
Cætera quæ restant si nunc ego carmine pleno
Commemorare velim, brevis haud suffecerit hora.
Occiduo quin sole prius sub cardine merso,

Inductis

Inductis terras nox tinxerit atra tenebris,
 Quam cupida partem possint pertexere Musa
 Egregiorum operum, noster qua praestitit Heros.
 Est toto penitus iam decantatus in orbe
 Religionis amor, nec opus modo multa referre,
 Ne soli oppositum radianti debile lumen
 Offuscet potius quam laudes augeat amplas.
 Quas non sustinuit curasq; grauesq; labores
 • AUGUSTVS, lux ut doctrinae sana maneret
 Caelestis, cunctis erroribus atq; remotis
 Lucifero, fieri si posset, clarior esset?
 Quas curam non thesauros effudit in illam?
 Quam multos aluit sancti qui dogmata verbi,
 Et doctas quibus est opus artes discere possent
 Ac quondam prodesse scholis templisq; docendo?
 Ne desint ullo custodes tempore verbi
 Diuini, vigeantq; bona feliciter artes.
 Ac per te Princeps si commemorande stetisset,
 Et responderent votis euenta petitis,
 Iam pax (nec dubito) ditionibus vndiq; cunctis
 Doctrinae constans esset, diuinaq; nunq;
 Dilacerarentur diuerso dogmata sensu.
 Cor • AUGUSTE tuum verae pietatis amore
 Incensum ardebat, CHRISTVM tu pectore habebas,
 Is tibi

5523

Is tibi delitia solus, solusq; voluptas,
Quo sine vita quid est hominum nisi lubricus error,
Et via senta situ stygium qua ducit ad orcum?
Versantem quoties vidit te Biblia Titan,
Surgeret Eoo rutilis sine axe quadrigis,
Hesperio fessos seu mergeret equore curras,
Et nox exortis sero sub vespere stellis
Fusca, pruinosas terras induceret umbras.
Hoc nil Thesauro melius nil maius in orbe
Ducebas, caeli nobis qui creditus arce
Non fluxas largitur opes, quas morte relinqui,
Postquam parca ferox incidit fila necesse est.
Fonte sed e vino solatia viua ministrat,
Cor imis pressum marore leuantia fibris,
Et tandem gelidos ubi vita reliquerit artus
Haeredes regni superum facit esse beati.
Non minus innocuae qua regna gubernat & urbes,
Iustitiae studium fuit inculpabile: cuius
Rite suum tribui voluit, nullumq; gravari
AUGUSTVS Princeps: Toties hinc edita fertur
Aureolis vox digna notis, vox Principe digna:
Mando, viri, vos consilijs mihi quotquot adestis,
Atq; gubernanda partes regionis obitis,
Efficite ut nulli subiecto iniuria fiat,

C

Sint

as,
tibi

Sint & diuitibus communia iura & egenis,
 Litibus in dubijs sententia iusta feratur,
 Ne quisquam de iure queri se posse negato
 Predicet, & iustas nobis id prouocet iras.
 Hic amor, hoc studium memorabile iuris & equi
 AVGVSTO quouis permansit tempore constans:
 Quod velut obrizo conclusus Iaspis in auro
 Ornabat gravitas cum gestu digna decenti,
 Integritasq; animi fucos & falsa perosa,
 Innumeræq; alie virtutes, & decora alta
 Quæ nunquam poterit longæua abolere vetustas.
 Heu miseræ hominumq; vices incertaq; fata,
 Quam cito fortunam sequitur sors dura secundam,
 Et modo quæ fuerant perturbant gaudia luctus.
 Sic ubi nonnunquam cælo lux clara sereno
 Effulsit, subito tempestas nubila surgit, (auræ.
 Noctem hyememq; ferens, & inborrent imbribus
 Iam poterat felix AVGVSTI vita videri
 Principis, haud leuo Ditiopacata vigebat
 Successu, nusquam spargebat tristia rumor
 Nuntia, gaudebant omnes hoc Principe terra.
 Iam quoq; connubio Princeps tædisq; beatus
 Illustris Nympha, mentem referebat ad alta
 Consilia, ut rerum status optatissimus esset:

Cum

Cum subito (Heu nimium fata heu crudelia fata)
 Extremum AUGUSTO meditatur pallida finem
 Atropos, haud patiens duci fatalia fila
 Vltimus, cara spem precisuraq; vita.
 Undecima infauito lux Februa venerat ortu,
 Cum laxaturus curas exhaustaq; membra
 AUGUSTVS nemori aduehitur cum coniuge cara
 Vicino DRESDAE (veluti consuërat) amicam
 Latitiam referens, & vultu blandus amano.
 Viribus ac paulo post hac ratione resumptis,
 Illustrem reuehi curru se iussit in aulam,
 Nec minima apparent propera presagia mortis.
 Vesper erat, Ducis & lethum ne triste videret
 Occiduo sese sub cardine condiderat Sol
 Tristior, & nitidos tingens caligine vultus:
 Accumbit mensa, sueta dum tempore caena,
 Ecce acres sentit Princeps in corpore motus,
 Ora notat pallor subitus, praecordia languent,
 Membra stupent, oculis nox circumfunditur atra.
 Accurrit Medicus, dulcisq; ante omnia coniunx,
 Mollibus ac stratis languentia membra reclinant,
 Nec medicas adhibere manus, fomentaq; cessant.
 Quid querar? heu placidos sponda dum carpere som-
 Creditur, in ventos anima exhalata recedit (nos
 C 2 Princi.

Principis, & leni superum petit aethera flatu.
 Non secus ac infans maternis fatus in vlnis,
 Lumina, cum sentit somnos obrepere, claudit
 Suauiter, & collum cunis imbelli reponit.

Interea rumore per atria longa vagante,
 Dum trepidis ingens miscetur luctibus aula,
 Nuntia diuersus pede precipitante minister
 CHRISTIANO fert dura Duci: languere parentem
 Lethali pressum morbo, iamq; ultima parcis
 Fila trahi, veniat, praesens si cernere saltem
 Postremum cupiat, vitæ nihil esse relictum.
 Attonitus novitate stupens, citus aduolat, inter
 Spemq; metumq; haerens, patrem seu viuere credat,
 Sive extrema pati, nec iam exaudire vocatum,
 CHRISTIANVS Princeps, & dulci incensus amore
 Irruit, ac mutos manibus complectitur artus.
 O largo quoties humectans lumina fletu,
 Viue pater dixit, vultus attolle iacentes,
 Viue pater, nec nos in tristi turbine rerum
 Desere: sed frustra ferit ab vox lugubris aures,
 Frigida torpebant aeterno membra sopore,
 Spiritus & superam liber migrarat in aulam.
 Scilicet hoc AVGVSTI tibi dedit inclite donum
 Quem toto es vita veneratus tempore CHRISTVS,
 Ne te

Ne te mors longo torqueret lenta dolore,
Sed mansueta quies placidoq; simillima somno,
Auferret terris animam, sanctisq; parata
Sentires & in hac Paradisi gaudia vita.

Diditur extemplo vicinas fama per urbes,
Et varias alis penetrat pernicious oras,
AVGVSTVM subito vitali luce relicta
Excessisse Ducem properanti funere terris.
Fari hoc qui norint : Primò vix credere multi,
Fama sed aucta fidem fecit, dubitare nec ultra
Fas erat : Hic quanti gemitus, suspiria, luctus,
Qui planctus fuerint, verbis quis dicere possit ?
Territa vox tacitis multorum faucibus hæsit,
Ignotis velut effusi regionibus hostes
Vicinas urbes populentur & omnia vastent.
Aut velut immisissis in tecta patentia flammis,
Vulcano superante domus considat in ignes.
Arbitrio sed quis superum legiq; repugnet ?
Tam tristis superanda fuit fortuna ferendo.
Mortales lex una manet, moriantur ut omnes,
Seu magni fuerint reges, inopesue coloni,
Terra suum repetit, de terra fragmine facta
Corpora debentur rursus mortalia terra.

Vivit in amplexu CHRISTI, superiq; parentis,

C 3

AVGV

m
at,
re
vs,
te

3526
● *AUGUSTVS Princeps, cum mentibus atq; beatis
Æternum priscisq; Heroibus exigit ævum,
Imperij liber curis, vacuusq; dolorum,
Qui quovis hominum momento pectora rodunt,
Nec membris ullam patiuntur inesse quietem:
Expectatq; diem sublata mente supremum,
Quo terraq; mariaq; flagrante, flagrantibus astris,
Clara sonum tuba terribilem dabit æthere, iudex
Et CHRISTVS multis comitatus millibus, inter
Cælicolas residens illustris in iridis orbe,
Divina maiestate potens, cernetur in altis
Nubibus, & dicto citius rediit in resurgent
Longis iam seclis infossa cadauera tumbis
Innumeris, alius rerum nascetur & ordo,
Arce pijs cæli superum solioq; receptis,
Autore at scelerum detruso ad Tartara catu.
Hunc ò CHRISTE diem da nos quoq; cernere lætis
Luminibus miseros, sanctoq; cruore redemptos
Ætherijs nos CHRISTE iube succedere regnis.
Interea quicquid nobis hoc vivitur aui
Transseat in vera votis pietate secundis.
Sit nostri tibi cura Deo, sint mitia pacis
Tempora, quas usus poscit sit copia rerum,
Trans axem fugiant hostes & bella nivalem.*

In pri-

In primis post te quo solo nitimur, altis
 Ingenij atq; animi donis & pectore celso
 CHRISTIANVM defende Ducem, rege, protege, serua,
 Cuius in Heroa iam nunc florentibus annis
 Mente, paternarum virtutum lucet imago.
 Hoc Duce, quod nobis pietas clarissima spondet,
 Non minus auspicijs quam consilijsq; parentis
 Docta florescent artes, Ecclesia crescet,
 Et pax in nostris erit optatissima terris.
 Illustrem serua sobolem quoq; numine dextro,
 Unà cum magna & generosa coniuge, cuius
 O Deus instantes clementer prouehere partus,
 Et bona cum leta fortuna cuncta ministra.
 Nos inter catus patiaris & esse perenni
 Tempore, qui demto celebrent te sine potentem
 Caestri cum patre Deum cum flamine sacro,
 Cui laus est cunctis, honor & victoria seclis.

D I X I.

L I P S I Æ,

Imprimebat Johannes Beyer.

M. D. L X X X V I I.

V. 2964 am

24



X 2205945







Vc
2964

ATIO

HEROICIS CON-

ntatione Illustrissimo

q; Principi ac Do-

o, Domino

VSTO,

ri Romani Imperij Ar-

Electori, Landgrauio

ioni Misniae & Burg-

urgensi, altero post

obitum anno,

acta,

blicè die XI. Feb. 50

mplo Paulino.

à

NE ALBINO

Professore.

es Beyer impri-

t, Anno

X X X V I I.

B.I.G.

Farbkarte #13

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

Inches
Centimetres